

spermum, haec polysperma. Si sic se habeant, nequeunt esse congeneres.

*Elaphroxyton*, pulchrum et singulare genus sua fructificatione, etiam hoc vocabulum durius sonat.

*Triopteris* Brown. anne *Ptelea viscosa*?

*Galega 1.* Brown. anne *Sophora tomentosa*?

*Poinciana inermis* est *Poinciana elata*. *Cent. plant.* 2. p. 146. *Syst. nat.* 10. p. 1013. n. A.

*Samyda* mira est confusio.

*Cedrela 2.* Brown. an possibile quod sit distincti generis a prima.

*Copaiva*. Lactor quod hoc genus innotescat. Anne fructus e *Marcgr. bras.* 130. s. 131. desumi posset.

*N. g. Borboniae fructu*, an *Tinus* meus s. *Volkameria* Brown.

*Conocarpus 1.* Brown. anne possibile esse diversum genus a Conocarpo, cum dicat folia ad basim duabus petioli glandulis? Si *Tua* sit affinis *Rhizophorae*, quaeso ne multiplices genera, cum verear quod *Mimusops* et *Bucida* sint nimis affines.

*Suriana* decandra, miror.

*Monadelph. n. g. arbuse. fol. magn. pulcherr.* an *Pentapetes*.

*Bombax* esse pentandrum recentiores omnes statuunt, negant polyandram, hinc mutavi, quamvis *Hort. Mal.* pingat polyandram, sed dicunt *Gossypii* speciem esse istam polyandram.

*Swietenia* nollem quod diceres plantam adeo affinem *Capparidibus*, *Breyniis*, *Morisoniis*, cum verear, quod haec omnes in unum genus aliquando confluant. Si diceres *Comojanduram Swieteniam* certissimum et speciosissimum haberes genus.

*Mirabilem* Tuam habeo copiosissime, est *Mirabilis longiflora* *Syst. nat.* 931. quam descripsi et delineavi in *actis Stockholm.* 1756. p. 176. t. 6. f. 1. est vera *Jalappa officinarum* ut puto.